

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3970

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : bourgeois, Pont-Audemer (ville)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1285, février

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, accorde aux bourgeois de Pont-Audemer la liberté de commerce dont ils jouissent dans cette ville depuis longtemps.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1045, p. 270-271.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod cum, ex relatu nostrarum gentium, intellexerimus quod nostri burgenses Pontis Audomari dicebant et proponebant, quod ipsi possint et debent de jure suo, a tempore a quo non extat memoria, stalla sua in predicta villa rationabiliter emere ad vitam eorumdem a preposito nostro dicti loci, qui pro tempore fuerit prepositus ibidem, videlicet pro certo pretio seu pacto, secundum quod convenit inter predictos prepositum et burgenses, et quod per dictam emptionem a dicto preposito sibi factam ibi habent et debent habere libertatem in dictis villa et prepositura vendendi et emendi merces suas absque costuma exinde reddenda preposito supradicto seu alii loco sui, et quod hoc consueverunt uti, ut asserebant, ab antiquo ; gentibus nostris contrarium asserentibus, et dicentibus dictos burgenses talem libertatem, ut dictum est, de jure non debere habere ; tandem rationibus dictorum burgensium auditis et intellectis diligenter, volumus et concedimus quod dicti burgenses et eorum successores habeant et possideant in perpetuum libertatem emendi stalla sua a dicto preposito dicte ville, sicut superius est expressum, ad usus et consuetudines, quos vel quas predicti burgenses et eorum antecessores uti consueverunt ab antiquo, et absque contradictione prepositi supradicti seu illius qui dictam preposituram observabit, retentis nobis costumis animalium quadrupedum in vendendo, equorum vendendo et emendo, dolii a potu vacuati, corii ad pilum animalis occisi seu mortui in villa predicta, omnium nummatarum qualiumcunque per aquam transmissarum, alliectum, vinorum causa vendendi missorum extra villam, porretorum, cepe et alliorum in trezia missorum similiter extra villam a burgensibus supradictis, et retentis nobis XXti. denariis, quos quilibet dictorum burgensium, qui emptor est dictorum stallorum vel fuerit, nobis reddere consuevit annuatim, ac omnibus costumis omnium mercaturarum qualiumcumque et ubicumque, si que fuerint superius non expresse, quas dicti emptores stallorum supradictorum consueverant solvere ante conventionem predictam, et salvo in aliis jure nostro et jure quolibet alieno. Et propter hoc et pro hoc quod ipsi burgenses et successores eorum possint vendere vina sua apud Pontem Audomari in suis domibus et tabernis [quieta] a foragiis seu tabernagio de cetero seu apociamentis juratorum, dicti burgenses quater centum libras

turonensium nobis dederunt et solverunt in pecunia numerata. Quod ut perpetue firmitatis robur obtineat, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Domini M° CC° octogesimo quarto, mense februario.